

tibus Baii et Jansenii. Hujus prop. 3^a, damnata ut haeretica, sic sonabat :
 " Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur
 in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. „

7. DIVISIO. Actus humani dicuntur :

1^o *Eliciti* vel *imperati*. Priores illi sunt qui immediate procedunt a voluntate et in eadem facultate perficiuntur, ex. gr. amor vel odium Dei. Posteriores illi sunt qui, ex imperio voluntatis, ab aliis potentiis sive internis, sive externis procedunt. Hi posteriores dici possent elicitum relate ad potentiam a qua procedunt, ex. gr. actus fidei relate ad intellectum a quo eliciuntur sub imperio voluntatis. Sed cum actus hic spectemus unice quatenus humani sunt, eos tantum dicimus elicitos qui toti consummantur in ea facultate in qua formaliter residet libertas et per quam solam homo est actionum suarum dominus. Dicuntur tamen interdum imperati etiam actus voluntatis, quatenus ab alio ejusdem potentiae actu determinantur, ex. gr. amor inimicorum ex amore Dei.

2^o *Interni* vel *externi*. Priores illi sunt qui internis tantum potentiis, posteriores qui et organis externis perficiuntur.

3^o *Naturales* vel *supernaturales*. Priores illi sunt qui per solas facultates naturales eliciuntur; posteriores illi qui eliciuntur a facultate per auxilium gratiae divinae elevata. Notandum est hanc divisionem non desumi ab objecto actus, sed a principio elicente. Nam, ut habeatur actus supernaturalis, non sufficit objectum esse supernaturale : sic mere naturalis est actus intellectus elicitus sine gratiae auxilio circa veritatem revelatam. Immo nec requiritur tale objectum : sic supernaturalis est actus vi gratiae positus circa objecta virtutum naturalium.

4^o *Boni, mali* vel *indifferentes*. Boni sunt qui regulae morum conformes sunt; mali qui eidem regulae repugnant; indifferentes qui eidem regulae neque conformes, neque repugnantes sunt, vel saltem ita concipiuntur. De hac divisione et praesertim de quaestione num dentur actus in individuo indifferentes, dicetur fusius n. 30 sqq.

5^o *Validi* vel *invalidi*. Priores illi sunt qui gaudent omnibus conditionibus requisitis ad effectum suum proprium producendum, ex. gr. votum ad inducendam obligationem ex religione; posteriores illi sunt quibus deest aliqua conditio ad hunc effectum necessaria. Inter actus validos alii sunt ita firmi ut nulla auctoritate, saltem humana, rescindi seu vi sua privari valeant; alii sunt rescindibiles ab eo qui competentem auctoritatem habet.

8. Actus elicitum a voluntate non omnes sunt ejusdem rationis. Nam, licet voluntas omnia appetat sub ratione boni, quaedam vult *tamquam finem seu propter sese ipsa*, quaedam *tamquam media seu propter alia*.

Deinde inter eos actus qui versantur circa finem, tres actus diversi distingui solent; tres quoque inter actus quibus bonum appetitur ut medium, seu ut utile ad finem assequendum. Hinc distingui solent sex actus voluntatis :

1^o *Simplex voluntas* seu actus quo bonum propter se et in se spectatum voluntati placet. Hic etiam *amor* dicitur, cui opponitur odium mali.

2^o *Intentio* seu actus quo bonum non solum amatur, sed appetitur tamquam finis per aliud obtinendus. Huc pertinet et *desiderium*.

3^o *Fruitio*, quae et *gaudium* vel *delectatio* dicitur. Hic actus est quo voluntas in bono jam possesso conquiescit.

4^o *Electio*, qua voluntas e pluribus mediis a ratione propositis unum efficaciter vult cum quadam praelatione super reliqua.

5^o *Consensus*, qui actus est voluntatis conformantis se intellectus judicio. Ratio nominis est quod voluntas, dum acceptat quod intellectus judicat esse bonum, sive sensibile, sive honestum, idem quodammodo sentit quod intellectus. Consensus imprimis refertur ad media, quia consensus est de iis quae per consilium definiuntur, consilii autem definitio est de mediis. Usu tamen universali et proprio, hoc nomen non restringitur ad media, sed omnis actus voluntatis acceptantis objectum intellectu propositum, vocatur consensus, et actus recusantis, dissensus. Ab electione differt consensus, quatenus non est necessario volitio efficax, neque requirit comparisonem plurium mediorum inter se. (Lessius, de Beatit. et Act. Hum. q. 15. n. 3.)

6^o *Usus*, quo voluntas medium electum applicat ad finem assequendum.

Cum actus humani ii sint qui ex voluntate deliberata procedant, penitus inspicienda sunt ea quae actum voluntatis deliberatum constituunt. Ideo tractandum erit de natura voluntarii et involuntarii. Multa tamen quae potius ad theoreticam explanationem quam ad praxim pertinent Philosophis relinquemus.

CAPUT II.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

9. DEFINITIO. *Voluntarium* quandoque improprie dicitur quidquid pendet ab appetitu vitali, seu sensitivo, seu rationali : quo sensu idem sonat ac spontaneum et etiam in brutis reperitur. *Sensu proprio id tantum designat quod a voluntate rationali pendet*, vid. quod est a

principio intrinseco cum cognitione finis. In hoc sensu proprio duo sunt de ratione voluntarii :

1^o *Ut sit a motu voluntatis*, tamquam effectus a causa sua. Quod si voluntas mea tendit quidem in objectum quodpiam, sed illud non efficit, id mihi non voluntarium dicitur, sed mere *volitum*. Ex. gr. si desidero mortem adversarii mei, quae ei ab alio, me nullatenus cooperante, infertur, ejus mors mihi volita est, voluntarium est solum desiderium mortis.

2^o *Cognitio perfecta*, qua scil. non solum apprehendatur res quae finis est, sed cognoscatur ratio finis et proportio ejus quod ordinatur in finem tamquam medium : haec cognitio soli naturae rationali competit. (1. 2. q. 6. a. 2.) Non sufficit ergo illa imperfecta cognitio quae etiam in brutis habetur, ex. gr. dum cibos ad sedandam famem quaerunt.

Duplici ratione potest actus procedere a voluntate : naturali modo, tamquam effectus a causa determinata, et, modo qui voluntatis est proprius, tamquam effectus a causa indeterminata. Hinc speculative distingui potest voluntarium in necessarium et liberum. Verum practice voluntarium dicitur illud tantum quod liberum est. Ratio est, in homine viatore qui agit sui compos, nullos dari actus voluntarios quin sint etiam liberi. Etenim bona particularia quae per cognitionem voluntati proponuntur, eam liberam relinquunt : quia semper ei apparent tamquam aliquid mali in se continentia, vel saltem a perfecta boni ratione deficientia, et sub hoc respectu a voluntate respui possunt. Quin et ipsa beatitudinis appetitio, quamvis sit necessaria quoad determinationem actus, libera manet quoad actus exercitium, " quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine. " (S. Th. De Malo, q. 6. a. un.)

Involuntarium latiore sensu designat quidquid non est voluntarium. Duplici autem ratione contingit aliquid non esse voluntarium : primo, quod proprie *non voluntarium* dicendum est, quia, deest actus voluntatis circa objectum quod voluntas tamen non aversatur, immo forsitan et prosecuta fuisset, nisi error vel ignorantia obstitissent, puta dum aliquis a via aberrans reperit amicum quem diu videre optaverat ; secundo, quod proprie *involuntarium* est, quia aliquid fit contra voluntatis inclinationem, ut puta si quis bona fide calumniatur amicum. Cfr. S. Th. op. cit. q. 3. a. 8.

10. DIVISIO. *Voluntarium* praecipue dividitur :

1^o In *perfectum* et *imperfectum*. Perfectum est quod e plena intellectus cognitione et deliberatione procedit. Haec deliberatio sita est in aliqua consideratione variorum objectorum quae libertati proponuntur, ut concludatur quid agendum vel omittendum sit : nihil autem impedit quominus unico momento absolvatur. Imperfectum est voluntarium si

ex imperfecta cognitione et semi-plena deliberatione oritur, ex. gr. in subita ira, in fuga a periculis, etc.

2^o In voluntarium *simpliciter* et voluntarium *secundum quid*.

Sensus magis probatus hujus divisionis hic est : ambo illi termini complexive adhibentur de eodem actu qui habet aliquid voluntarii et simul aliquid involuntarii, et quidem magis ex parte inclinationis voluntatis quam ex parte cognitionis. Quod ut clarius pateat, supponamus duplex objectum voluntati propositum, ex. gr. instante naufragio, projicere merces in mare, easdem servare. Voluntas afficitur erga utrumque, sed, cum utrumque amplecti non possit, unum praefert alteri ; vult utrumque, sed ita ut velit unum magis, quod propterea eligit, alterum minus, quod propterea relinquit. Ideo circa unum habetur vera volitio, circa alterum velleitas. Vox " simpliciter " in hac divisione non significat impermixtum et purum, sed absolute, efficaciter, realiter. (Ball. P. n. 26)

Interdum alii sensus huic divisioni tribuuntur. Quidam eam ita usurpant ut recidat in divisionem praecedentem : nempe voluntarium simpliciter idem ipsis est ac perfectum, voluntarium secundum quid idem atque imperfectum. Quidam vero per voluntarium simpliciter intelligunt id quod a plena voluntatis inclinatione sine ulla repugnantia procedit, per voluntarium secundum quid (seu mixtum) id quod non procedit a voluntatis propensione nisi cum aliqua repugnantia. Sic S. Th. (2. 2. q. 142. a. 3) : " Ea quae per timorem fiunt, non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta. "

3^o In voluntarium *in se* et voluntarium *in alio* seu *in causa*. Prius illud est quod voluntas in se ipso immediate appetit. Si vero aliquid non appetitur, sed efficitur appetendo et agendo aliquid aliud, quocum prius objectum tamquam cum causa jungitur, prius illud objectum dicitur voluntarium in causa tantum. Attamen si voluntas etiam hunc effectum intenderet, hic diceretur quoque in seipso voluntarius. Ita si quis scribit libros pravos intendens tantum lucrum ex iis percipere, peccata legentium ipsi erunt voluntaria in causa tantum ; si vero fidem moresve pervertere intenderet, peccata illa ipsi fierent voluntaria in se.

Recte notat Lehmkuhl (I. n. 4) : " Ut aliquid dici possit et debeat voluntarium in se, non est necesse, ut pro fine habeatur et appetatur : nam potest aliquid vere in se, quantumvis non propter se, sed ut medium ad certum aliquem finem appeti ; quod si fit, utrumque in se voluntarium agenti est, et medium et finis. Exemplum sume quod de projectione mercium ad servandam vitam navigantium proposui. Projectio mercium navarcho voluntaria est in se, sed non propter se ; magis etiam voluntaria est in se vita navigantium servanda. "

4^o In voluntarium *directum* et voluntarium *indirectum*.

Haec divisio saepe eodem sensu usurpatur ac praecedens. Interdum directe voluntarium dicitur quidquid a voluntate positive operante procedit; indirecte voluntarium, id quod a voluntate est hoc ipso quod non agit " sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, in quantum desistit a gubernando. " (S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3) Eodem sensu a nonnullis sumitur divisio voluntarii in positivum et negativum. Exemplum habes in pravis actionibus puerorum quos parentes ad eas provocant (voluntarium positivum), vel ab iis non avertunt cum possint (voluntarium negativum). Omnium consensu, ut aliquid sit indirecte voluntarium requiritur ut non sit voluntarium in se, sed in causa tantum.

5° In voluntarium *expressum, tacitum et praesumptum*

Expressum est id quod non solum reapse elicitur, sed distincte verbis aut alio signo declaratur. Tacitum est id quod revera elicitur, sed exterius non manifestatur, quamvis ex aliqua actione vel omissione colligi queat. Praesumptum illud est quod ob rationes aliquas a priori iudicatur adesse vel adfuisse.

Quo plenius intelligatur quando ex aliqua actione vel omissione colligi possit voluntarium tacitum, juvat notasse praecipuas applicationes Regulae Juris 43^{ae}: " Qui tacet consentire videtur. " Effatum istud recte applicatur:

a) In favorabilibus, ex. gr. quando tacenti fit donatio gratuita.

b) Quando, propter adjuncta aliquis loqui deberet et sine magno incommodo posset, tacet tamen, ex. gr. episcopus tacens dum videt sacerdotem, qui aliunde jurisdictionem non habet, audire confessiones; membra Capituli tacentia dum aliquid minus recti ab aliis membris decernitur.

c) In certis casibus Jure determinatis ac proinde stricte interpretandis. Sic ex dispositione Juris Canonici (6ⁱ Decr. l. 4. tit. 2. cap. un.) consentire censetur filius qui tacet ubi sponsalia pro ipso a parentibus contrahuntur. Hoc tamen jus tantum in foro externo facit praesumptionem, quae in foro interno semper, in foro externo quoties fieri potest probatio contrarii, cedit veritati. Insuper, cum sit strictae interpretationis, non obligatur minor pro quo sponsalia contraheret curator vel alius ex agnatis.

6° In voluntarium *actuale, virtuale, habituale, interpretativum.*

Actualiter voluntarium illud est quod procedit a voluntate sub attentione intellectus. Sufficit tamen ut objectum includatur in voluntate generali quae se ita implicite ad illud extendat.

Virtualiter voluntarium illud est quod procedit a voluntate, quae jam actu non existit, sed quae in effectu aliquo hujus volitionis praecedentis perseverat. Exemplum habes in sacerdote qui distractus sacramenta conficit ex illa voluntate quam actu habuit cum se in ecclesiam ad

baptizandum vel celebrandum contulit. Nempe ex duobus elementis quibus constat voluntas actualis (voluntate et attentione seu reflexa consideratione actionis) non tam voluntas deest quam attentio reflexa ad hanc ipsam voluntatem et actionem, quatenus ab ipsa procedentem. Neque necessario deest attentio directa: nam potest mens hominis ad plura ac disparata simul attendere; ut, cum vestes induuntur, ad quod opus attenditur, non impeditur attentio ad orandum. (Lugo, De Sacram. in gen. disp. 8, sect. 5) Similiter nihil impedit quominus erga unum objectum sit attentio reflexa, erga alterum solummodo directa vel tenuissime reflexa.

Habitualiter voluntarium illud est quod olim in voluntate exstitit, nunc autem jam nulla ratione positiva in ea perseverat, sed negative tantum, quatenus non est retractatum.

Interpretative voluntarium illud est quod pendet a volitione quam homo ob justas rationes supponitur eliciturus, si quaedam mente adverteret. Hoc igitur neque actu est, neque fuit in voluntate hominis: unde nihil amplius postulat quam voluntatis inclinationem ad talem actum eliciendum. (1)

Simili ratione distinguitur intentio actualis, virtualis, habitualis et interpretativa.

Ex his definitionibus patet actum humanum requirere in eo a quo ponitur voluntarium actuale vel saltem virtuale. Nam voluntarium habituale vel interpretativum non sufficit ut actus ab intrinseco procedat scienter et libere.

11. Involuntarium distinguitur:

1° In involuntarium *simpliciter et secundum quid*: cujus divisionis sensum apte intelliges ex iis quae modo (n. 10) de simili divisione voluntarii dicta sunt.

2° In involuntarium *perfectum et imperfectum*. Perfectum, quod quandoque etiam simpliciter involuntarium dicitur, illud est a quo voluntas ita, abhorret ut prorsus et, quantum in se est, efficaciter illud repellat. Sic tentatio contra fidem erit perfecte involuntaria bono christiano eam sine haesitatione repellenti. Imperfecte involuntarium illud est quod a voluntate rejicitur, sed cum quadam haesitatione et negligentia, ut saepe contingit tepidis christianis contra fidem tentatis.

(1) Secundum definitiones hic propositas, ita differt voluntarium praesumptum ab interpretativo ut praesumptum designet voluntatem quae de facto exstet vel exstiterit, interpretativum voluntatem quae tantum supposita aliqua conditione exstaret. Saepe tamen utraque vox eodem sensu adhibetur, ac proinde mens auctorum est investiganda. Cfr. Buccer. De Act. Hum. n. 43.

12. Quae voluntarie fiunt, merito **imputantur** homini, tamquam auctori: nam in ejus potestate erat ea agere vel omittere. Quare, saltem ubi attendit ad normam honestatis, *actio* vel *omissio* ipsi ad laudem vel vituperium imputabitur. Neque ullum dubium esse potest quin pariter imputentur *effectus* boni vel mali qui ex aliqua actione vel omissione secuturi praevidentur et intenduntur, ex. gr. impotentia recitandi Horas Canonicas in sacerdote qui, ut otio fruatur, breviarium in mare projicit. Quod si *effectus* boni non intenduntur, certe non imputantur ad laudem. (n. 38) Verum de effectibus malis qui ex aliqua actione vel omissione sequuntur, sed non intenduntur, quaedam principia hic ponere juvat, cum res sit magni momenti, neque difficultatibus careat.

13. **PRINCIPIA. I.** Ut effectus malus qui ex aliqua actione vel omissione sequitur, agenti ad culpam imputetur, **tres conditiones** requiruntur et sufficiunt.

1^a Ut agens aliquantulum animadvertat e tali causa hunc effectum existurum esse vel facile existere posse.

Ratio est, quod nihil est volitum quin sit praecognitum, neque ulla obligatio esse potest abstinendi ab actione ob rationem quam prorsus ignorem. Sic nequit mihi imputari ebrietas secuta e potu cujus vim inebriantem prorsus ignoraverim. Ceterum de hac conditione plura dicentur ubi de influxu ignorantiae in actum humanum agetur.

2^a Ut agenti libera sit facultas non ponendi causam aut positam auferendi.

Ratio est, quod imputari nequit quod liberum non est. Sic imputari nequit damnum quod infertur per motum qui physice cohiberi nequit, neque scriptori libri pravi jam culpae verti possunt peccata legentium, si librum typis editum velit quidem, sed nequeat ex eorum manibus eripere.

Notandum hanc impotentiam ad non ponendam vel ad auferendam causam a peccato excusare etiamsi sit moralis tantum. Ita principi non imputantur scandala quae necessario orientur e meretricio in civitatibus tolerato: nam, nisi toleraretur, graviora orirentur damna. Secus dicendum si meretricibus ea permittantur quae absque gravi incommodo vetari possint.

3^a Ut agens teneatur causam non ponere vel positam auferre, et quidem ideo teneatur ne talis sequatur effectus.

Ratio est, quod si agens non tenetur abstinere a causa, jure suo utitur, et si non tenetur abstinere ne effectus ille sequatur, agens potest se habere solum permissive quoad illum effectum, prout in sequenti principio explicabitur.

Verum si tenemur impedire et non impedimus effectum, is nobis

imputabitur, quia, secundum moralem aestimationem, eum voluimus dum transgressi sumus legem ideo stabilitam ut effectus ille vitetur. Quamobrem homicidium imputatur ei qui tegulas e tecto projecit contra statutum ideo latum ne forte laedantur praetereuntes; non imputantur chirurgo motus pravi quos in exercendo munere suo patitur, neque ei qui violat jejunium ecclesiasticum imputatur pollutio nocturna quae ex ejus intemperantia forte sequatur.

14. **II.** Licet ponere causam bonam aut indifferentem, cujus duplex sit effectus, alter bonus, alter vero malus, dummodo bonus sequatur saltem aequae immediate ac malus, adsit autem ratio proportionate gravis et finis agentis sit honestus.

Veritas hujus principii elucet ex eo quod nihil inhonesti in tali causa, sub his determinationibus ponenda, assignari potest. Etenim defectus honestatis nequit oriri ex intentione agentis quae supponitur recta, neque ex ipsius causae natura, quippe quae supponatur saltem indifferens, neque ex effectu pravo qui praevidetur: nam, ex hypothesi, datur ratio proportionate gravis ad eum permittendum; intolerabile autem onus imponeretur homini si nullos effectus malos ex actionibus suis secuturos permittere posset, siquidem creberrime hujusmodi effectus cum bonis connectuntur. Utitur hoc principio S. Th. 2. 2. q. 43. a. 3. et q. 64. a. 7.

Quo accuratius percipiatur hoc tanti momenti principium, juvabit distinctius recensere **quatuor conditiones** quae ad hujusmodi causam licite ponendam requiruntur, videlicet:

1^a *Ut finis agentis honestus sit.* Nam si agens intenderet effectum pravum, ex. gr. pravam delectationem ex actione per se honesta secuturam, saltem hac interna voluntate peccaret.

2^a *Ut causa sit bona vel saltem indifferens.* Nam si alicui legi opponeretur, agens saltem hujus legis violatae reus haberetur.

3^a *Ut bonus effectus e causa oriatur saltem aequae immediate ac malus.* Ratio est, quia si bonus effectus oritur tantum mediante malo, tunc bonum e malo quaeritur, quod reprobatur S. Paulus ad Rom. III. 8: "Non faciamus mala ut veniant bona."

4^a *Ut habeatur ratio proportionate gravis* ponendi causam. Aequitas enim naturalis nos obligat ad vitanda mala vel proximi incommoda quando id sine damno proportionate gravi praestare possumus. Res tamen valde ardua est judicare quaenam ratio, in determinatis casibus, habeat proportionem cum effectu permittendo. Qua de re saepe erit indagandum, ubi de scandalo, de cooperatione ad alterius peccatum, de obligatione impediendi peccata subditorum etc. agetur. Non videtur quidem universim vera regula quam plures auctores ponunt: requiri ut

bonum a me quaesitum compenset seu exaequet malum quod inde sequitur. Haec tamen regula eatenus admitti potest " quatenus ratio habeatur non solum singularis cujusque casus, sed et communis omnium incommodi, quod sane gravissimum foret, si has ob causas, sive ad evitanda ejusmodi pericula, quisque deberet ab agendo abstinere. Sufficit scil. ut evitatio hujus communis incommodi, quae est quoddam bonum, exaequet malum quod permittitur. „ (Ball. P. n. 46)

Ad elucidandam doctrinam in his duobus principiis, quae se invicem complent, propositam, juvat distinguere cum Suar. (De vol. et invol. disp. 1. sect. 4. n. 8 seq.) inter causam alicujus effectus per se et causam per accidens. Causa per se dicitur ea quae ex ipsa natura sua in effectum tendit, sive physice, qualis foret ignis appositus aedibus destruendis, sive moraliter seu nonnisi mediante alterius libera voluntate ad effectum pertingens, qualis foret praeceptum servo datum furti patrandi. Causa per accidens, quae a mera occasione speculative distinguitur, sed practice cum eadem confunditur, ea est quae, licet aliquid conferat ut effectus producat, de se tamen in eum non tendit, puta ignis Petri aedibus injectus qui, ob ventum validum, ad aedes Pauli pervadit, aut eleemosyna qua pauper abutitur ad sese inebriandum.

Jamvero ubi causa per se nullum alium effectum habet praeter malum, manifestum est hunc imputari voluntati ideoque, sine alia lege, causam esse propter hunc effectum vitandam. Etenim cum causa effectum quodammodo contineat, voluntas appetendo causam, implicite vult effectum, modo illum cognoscat, ex. gr. ebrietatem in potu qui tamquam inebrians cognoscitur, atque in hoc sensu verum est adagium : qui vult antecedens, vult et consequens. Sed si causa quaedam etiam per se cum effectu malo effectum bonum producit, ut contingit in globulo ignito qui ab oppugnantibus urbem ita dirigitur in hostes pugnantes ut simul interituri sint plures innocentes, effectus malus non imputabitur si ob rationem proportionatam mere permittitur. Tandem ubi, absque intentione effectus mali, ponitur tantum ejus causa per accidens, manifeste non contrahitur malitia hujus effectus ob nudam connexionem cum positione causae : haec enim illum minime praecontinet in se ipsa, Sed non raro contingit tam arcte conjungi hanc causam cum effectu pravo, ut quicumque illam voluntarie ponit censeatur etiam hunc velle. Ita si novi aliquem pauperem solere eleemosyna sibi data abuti ad sese inebriandum, caritas jubebit ab ea danda abstinere propter hunc effectum per accidens secuturum. Attamen quandoque ista connexio dissolvitur, si eae incidant circumstantiae quae ejus fundamentum tollant. Sic in exemplo dato, licebit dare eleemosynam si aliter injurias vitare nequeam, quia caritas cum tanto incommodo non obligat. Cfr. Frins. De Act. Hum. ont. et psychol. consideratis, n. 185 sqq.

III. Mensura peccati voluntarii in causa desumitur e malitia voluntatis eo momento quo dat seu eligit dare causam futuri eventus vel omissionis, non autem ex effectu secuto. Hinc qui mulierem turpiter tangit, existimans inde secuturam esse pollutionem, aequè reus erit, seu sequatur, seu non sequatur pollutio. Plura hujus principii corollaria videsis nn. 20, 154 etc.

CAPUT III.

DE IIS QUAE VOLUNTARIUM TOLLUNT VEL MINUUNT.

15. Voluntarium duplici ratione tolli aut minui potest : primo, sublato penitus vel ex parte ipso usu rationis; deinde, influxu quorundam impedimentorum in actum transeuntem.

Deest ipse usus rationis, saltem ad moralem imputabilitatem sufficiens:

1^o *Infantibus et amentibus.* Attamen plures amentes moraliter liberi manent in multis determinationibus. Libertas enim in iis eatenus tantum pessumdatur quatenus perturbatur iudicium intellectus vel facultas deliberandi circa objectum menti propositum. (1. 2. q. 77. a. 1.) Jamvero saepe, praesertim initio morbi, haec perturbatio non pertingit ad notiones morales et religiosas. (1) Ad amentes proxime accedunt qui numquam ad plenam rationis evolutionem pertingunt : qui actus saltem plene deliberati incapaces sunt.

2^o *Versantibus in somno naturali et somnambulis.* Quid de versantibus in somno hypnotico vel postea exsequentibus jussa magnetizantis dicendum sit, nondum omnino liquet, dum inter se certant medici qui plurimum in experimentis hypnoticis versati sunt. (2) Probabilius plerumque non eo usque pertingit influxus hypnotizantis ut somnambulus qualibet morali libertate privetur et plane inconscius pessima quaeque facinora sibi imperata exsequatur. Quandoque tamen influxus iste tantus esse videtur ut totaliter usum rationis auferat : quo in casu,

(1) Medici et legisperiti saepe profitentur amentes omnis actus imputabilis incapaces esse, quia rem non spectant in seipsa, sed quatenus societati constare potest. Jamvero numquam clare constabit eum qui amens est non amisisse dominium voluntatis suae eo ipso momento quo aliquod scelus pataverit. Cfr. A. Lemoine, *L'aliéné devant la philosophie, la morale et la société*, c. 8. (Paris, 1861.)

(2) Cfr. *Revue Néo-Scholastique* (Nov. 1897) articulum D. Mercier. de Congressu internationali neurologiae, hypnologiae etc. coadunato Bruxellis mense Septembri 1897.